





1. Banzer, Marcus: De scorbuto. 1648.
2. Banzer, Marcus: Controversiarum Medico-Miscel.
Lancranum Decus II. 1648.
3. Coselius de Pylinox, Henrich: Pro dationem leg. XXIV,
XXV, XXVI. Tit. pand. postremi ... subiciet. ... 1648.
4. Coselius de Pylinox, Henrich: Enodationem leg. XXIII.
Tit. pand. postremi tit. 4. subiciet. ... 1648.
5. Coselius, Henrich: De testamentis. 1648.
6. Burkard, Furtus: De curatoribus bonorum. 1648.
7. Newenfeld, Konrad: De bello et pace. 1648.
8. Newenfeld, Konrad: Tiberii principatus confirman.
di arcona. 1648.
9. Quenstedt, Joh. Andr.: Sepultura veterum. Sive de
antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum,
Iudaeorum et Christianorum. disputatio IV. 1648.
10. Quenstedt, Joh. Andr.: Sepultura veterum. Sive de an-
tiquis ritibus sepulchralibus Romanorum, Graecorum,
Iudaeorum et Christianorum. disputatio VIII. 1648.

11. Aenstedt, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio VI. 1648
12. Aenstedt, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio II. 1648.
13. Aenstedt, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio VII. 1648.
14. Aenstedt, Joh. Andreas: Sepultura veterum,
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio III. 1648.
15. Aenstedt, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum

- norum, Graecorum, Indaeorum et Christianorum.
 Hospitalis V. 1648.
16. Schneider, Konrad Viktor: De pleuritide. 1648.
17. ^{Schreiter} Sperling, Johannes: De capite humero. 1648.
18. Stranch, Augustinus: Possessorum hunc . . .
 sistit . . . 1648.
19. Suovus, Guilfried: De pignoratibus et hypothecis
 1648.
20. ^{ab} Wacken, Christophor: De jure sepulturae. 1648
21. Coselius, ^{Henricus} Henrich: Decades duae quaestionum,
 in jure civili Canonico, Fundelic et Saxonico
 maxime controversarum. 1649
22. Coselius de Teglinoweg, Henricus: De crimine laesae
 majestatis. 1649.
23. Gramus, Sigismund: De pleuritide. 1649.
24. Ostermann, Joh. Erich: De consultationibus
 veterum. 1649.
25. Pomarius, Samuel: De noctambulibus. 1649.
26. Ritter, Samuel: De appellacionibus. 1649.

27. Schneider, Gossfried: De mundinis. 1649

28. Strauch, Augustinus: Theses juridice
famæ materiam publicæ continentes.
1649.

29. Banger, Marcus: Controversiarum Medice.

Miscellaneorum decas V. 1650.

30. ^{Banger, Marcus} Bütknerus, Friedr: ^{De parte} De motu solis spirali.
1650.

31. ~~Cordius de Pegliorrey, Henricus: De tutela 1650.~~

Banger, Marcus: Controversiarum Medice.
Miscellaneorum Decas IV. 1650.

32. Bütknerus, Friedr: De motu solis spirali.
1650.

33. Cordius de Pegliorrey, Henricus: De tutela 1650.

34. Cordius de Pegliorrey, Henricus: De testibus 1650.

35. Cordius, Henricus: De donationibus inter
vivos 1650.

36. Cordius, Henricus: De successione legi-
tima eorumque jure. 1650.

1650, 86

^{Holtzmann Below}
37. Lederer, Michael: De mutatione et vendi-
tione. 1650.

Pomarius, - Kollob

1650.

38. Pomarius, Jeremias: De noctambulis. 1650

39. Reusner, Joachim: De forma feudi. 1650.

40. Reusner, Jeremias: De feloniam. 1650

41. Ritter, Samuel: De contractibus et obliq.

limitis, in genere. 1650

42. Ritter, Samuel: De actionibus. 1650.

43. Schneider, Konr. Victor: De calculo rerum. 1650.

44. Schneider, ^{Müller} Gottfried: De militari testa -

mento. 1650

45. Strauch, Augustinus: De partu pecoris
1650.

46. Sueros, Gottfried: De dividuo et indi-
viduo. 1650.

47. Sueros, Gottfried: De crimine majestatis
humanae. 1650.


48. Sueros, Gottfried: Delicta privata. . .
placida. . . dispositioni subit. - 1650.


49. Wendeler, Michael: De magistratura com-
muni, et in specie de quaestore, Judice et
Censore. 1650.

Verle!

50. Wendelin; Michael: De Astro. 1688.







9 9
1048 9

SEPULTURA

VETERUM.

sive

DE ANTIQUIS RITIBUS SE-
PULCHRALIBUS,

Romanorum, Græcorum,
Judæorum & Christianorum,
DISPUTATIO QUARTA.

Quam
D. O. M. A.

PRÆSIDE

M. JOH. ANDR. QVENSTEDT.
QVEDL. FACULT. PHILOSOPH.
ADJUNCTO,

Publicæ disquisitioni submittit

GEORGIUS Umfort/Brunsvicensis.

Ad diem 21. Junij horis antemeridianis.

In Auditorio Philosophorum.



WITTEBERGÆ

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt/
ANNO MDC XLVIII.

SEPTUAGINTA

VETERUM

IVC

DE ANTIQVIS RITIBVS SE-

PACIFICARIVS

ROMANORVM ET

HEBRAICORVM & CHRISTIANORVM

DISPUTATIO QUARTA

AVCTORE

M. JOH. ANDR. OVENSTEDT.

PHILOSOPHO

ADJUNCTO

IN UNIVERSITATE

GEORGII AVGVSTI BRUNSVICENSIS

IN ANNO MDCCCLXXXIII

WITTEBERGAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICAE

ANNO MDCCCLXXXIII

WITTEBERGAE

WITTEBERGAE





CAPUT VI.

De ipsâ *Neuepoesia*, eamque comitantibus.

VOce præconis invitati, jam ibimus exequias. Sed ne præproperè efferatur funus, videndum est. Nimiâ enim maturatio quandoque vivos pro mortuis sepelivit. *Zeno Imper.* in ordine LV. sive acutiore morbo, sive ebrietate nimiâ exanimatus cum concidisset, *Ariadnæ uxoris jussu* in sepulcrum illatus est vivus, ut *Historia* tradunt. Idem *Jobanni Duns Scoto*, qui ob ingenij acumen *subtilis Doctoris* titulum promeruit, accidisse *Jovius* narrat in *Elogiis Dd. Vir.* Intervallum verò inter mortualem & elationis diem tam varium fuit, quàm variæ ipsæ gentes, neque apud easdem planè idem. Si *Servio* fides *lib. V. Æneid.* ad verba: *Præterea si nona diem & c. VII.* dies à morte ad funeris exportationem intercedebant apud Romanos. Hinc *Alexander ab Alexandro Jurisperitus Neapolitanus Genialium dierum*, operis multijuga eruditione referti & promptuarii antiquitatis instructissimi, *Lib. III. cap. VII.* ait; *Diebus septem servare solebant (corpus defuncti) arâ constitutâ, ubi odores incenderent, que acerâ dicta est. Græcis verò septendecim diebus corpora, antequam cremarentur, totidemque noctibus servare mos erat.* Et *Polyd. de rer. inventione lib. VI. cap. 10.* *Septem exactis diebus magnâ frequentiâ funus efferebatur, quasi post mortuum moriturâ, cujus extrema vox erat, Vale, mox te sequar.* Verum non semper certi alicujus diei habitam rationem multis ostendi posset, si id hîc ageretur. Publicis

Tempus elationis.

feriis mortuum sepelire non licuisse Romanis (puta ne sacra publica funestarentur Religione privatâ) refert *de re rustica Lib. II. Columella*, qui inter omnes, qui extant, rei rusticæ scriptores Solis instar eminet ac elucet. Et *Alexander Sardus de Moribus & Ritibus Gentium lib. I. cap. 27.* Neq; judæis (sic enim post reditum à Captivitate Babylo- nicâ omnes Abrahamidæ vocati sunt, de quâ appellatione vide *Casaubonum Exercit. I. ad Apparat. Annal. num. III.*) licitum erat diebus festis mortuos sepelire, quia ex conta- ctu mortui pollutio. *Du. D. Calixtus Concord. Evangel. lib. VI. cap. 1.* Cæterum tempus *τῆς ἐκφορῆς* nocturnum fuit apud Romanos ævo antiquissimo, si *Servio* credimus *ad lib. XI. Æneid* id affirmanti, ubi educebatur cadaver ad fa- ces & funalia, unde & funus dictum ipse autumat. De cujus tamen etymo Grammatici certant & adhuc sub ju- dice lis est. Verum hic mos noctu inferendi funera præser- tim in funeribus Indictivis postea exolevit, mansisse tamē videtur in Tacitis & vulgaribus, quod ex *Festo* Grammati- corum eruditissimo patet, qui *Vespillones* (bajulos, qui cadavera ad sepulturam exportant) inde dictos putat, *quia vespertino tempore eos efferunt qui funebri pompa duci pro- pter inopiam nequeunt.* Græciæ clarissima stella Athenæ fu- nera sua præsertim acerba ante Solis ortum extulere, idq; ex lege *Solonis*, qui unus fuit è septem Sapientibus & Le- gum Atticarum scriptor solus ex septem. Juxta *Ciceronē II. de Legib. Demetrius Phalereus* Athenarum per decen- nium præfectus, à quibus tot statuis fuit ornatus, *quot lu- ces habet annus absolutus*, teste *M. Varrone*, cavito edicto, ut ante lucem efferantur corpora. Exempla qui desiderat, adeat *Homerum*, primum juxta *Plinium* doctrinarum & antiquitatis parentem, qui sæpè hunc ritum tangit. Apud Christianos etiam aliquando funera noctu ducebantur,

tur, præsertim persecutionis tempore, sic enim τὸν ἀποστάν-
την Julianum lege vetuisse legimus, ne defuncti interdum
sepelirentur. *Christophorus Marcellus Archiepiscopus Cor-*
cyrensis lib. I. Sac. Ceremoniarum sect. XV. cap. II. de Exse-
quiis Romani Pontificis refert; Funus Papæ mortui in
templum S. Petri delatum nocte reponi in capella majori, &
tandem noctu sepeliri. Justo tempore. Nocturnum
namque tempus noctis filio & tenebrarum convenientis-
simum est. Nocte etiam portari Cardinalium cadaver ad
Ecclesiam, dicit idem capite præcedente. Sed ad Ro-
manos regredior, apud quos omnibus domi peractis tol-
lebatur feretrum. Deferendi verò funus plerumque
proximis hæredibus virilis sexus dabatur munus. Hinc
Lyricæ festivitatis antesignanus Romanorumque Pinda-
rus Horatius lib. II. Satyr. V.

Νεκροφό-
εσι.

cadaver

Unctum oleo largo nudis humeris tulit bares.

Nonnunquam & servi libertate donati cadaver sui Do-
mini efferebant. Imperatorum, aliorumque de Republ.
præclarè meritorum, ut *Coriolani, C. Julij Cesaris, Augu-*
sti, feretra subibant interdum Magistratus, Senatores,
Patricij. *Dionysio lib. VIII. Suetonio in vita Caf. Tacito lib. I.*
Annal. testibus. Tenuiores cives plebsque infima, vel et-
iam populo invisus quandoque, à Vespillonibus & Sanda-
pilariis exportabantur, quod cum ingenti dedecore Do-
mitiano Imperat. alteri post Neronem Orbis monstro
contigisse testatur Eutropius lib. VII. & Suetonius cap. XVII.
Judæi mortuos suos etiam humeris portabant. Regum
funera, (inquit Schickardus de Jure Regio Habreor. cap.
VI. p. 160.) fuerunt in humeris etiam longissimam sæpè viam
exportata: qui honor ne malis quidem regibus & odio habi-
tis publicè, fuit denegatus. Cujus humanitatis notabile spe-

I 3

cimera

cimen ediderunt Pharisei post fata Jannai. Elatum sic esse Herodem per ducenta stadia, itinere sesquitriduano, post pauca ex *Jos. pbo de Bello lib. 1. c. ult.* refert. Caterum Bajuli sandalia pedibus inducere vetabantur docente *Maymonide* ob causam levissimam, quam idem tradit. *Hal. Esel. cap. 4. Efferunt defunctum humeris, (nec vehunt lecticâ) usq; ad sepulchretum, sed latores prohibentur calceari sandalis, ne forte rumpatur corrigia cujusdam & illud processionem impediat.* More hoc humeris ferendi mortuos in prisca Ecclesia nihil fuit frequentius. Qui autem funera olim curabant & efferbant *κοπιῶντες* h. e. laborantes nominantur in *Epist. 12. ad Antioch.* quæ sub *S. Ignatij* nomine circumfertur. Item *copiatae, & lecticarij.* de quibus *Justinianus Novell. 43. & 59.* *Constantinus Magnus* ὁ ἐν χριστιανῶς βασιλεὺς ἀπόστολος (Primus enim Imperatorum Christo nomen dedit) in Ecclesia Constantinopolitana instituit 950. officinas (quarum numerum postea auxit *Anastasius Imp.*) immunes ab omni publico munere & vectigali, quæ suppeditarent *Lecticarios* seu *Decanos* ut appellantur in *Novell.* seu *Copiatas* qui gratuitam efferendis mortuis & sepeliendis præstarent operam. Ad quorum *Copiatarum* seu *Lecticariorum* formam Romæ, & ex hoc traduce alibi, institutæ sunt *sodalitates Mortis* quibus mortuis sepeliendis præcipua cura, referente *Baronio Tom. III. Anno CCCXXXVI. & Lorino in cap. V. Actuum Apostol.* Quamquam verò *Lecticarij* ad hoc constituti erant, ut defunctorum corpora efferrent, sæpè tamen honoratissimi quique, pietate & vitæ sanctimonia celebres *sacerdotum propinquorumq; manibus excepti perpetuis sedibus illati sunt.* ut loquitur *Sidonius Apollinaris lib. II. Epist. 8.* *S. Gregorius Nyssæ* Episcopus, quem Græci honoris causâ *Patrem patrum* vocant (teste *B. Gerbaro in præfat. ad Postill. Salom. cap. XI*) *Macrinæ* virginis, sororis suæ feretrum ipse subiit. *S. Paula*

trans-

translata est Episcoporum manibus & cervicem feretro subjicientibus, referente Hieronymo in Epitaphio ejus. S. Fulgentius etiam ad Sepulturam deportatus est Saecerdotum manibus, ut scriptum legimus in vita ejus, *Tom. 1. Suriy* E-
rant autem feretrorum duo potissimum genera apud Romanos, Lectica & Sandapila. Lecticis seu Lectis nobiles ac fortunati, Sandapilis pauperiores & vilioris fortunæ homines efferebantur, iisque interdum apertis, si sua morte obierant vel facie erant non planè deformi, quam sæpè fucare solebant, non levi quadam vanitate, ut mortuæ interdum quàm viventes adparerent formosiores. Qui mos hodieq; in Italia & Gallia obtinere dicitur. Si autem cadavera propter deformitatem honestè oculis populi palàm exponi non possent, vestibis involvebantur, tegebanturque. Christianos etiam modò tecta, modò conspicua extulisse olim defunctorum corpora ex *Nysseno Orat. in Placillam Imperatricem*, & *Gregorio Naz. Oration. in Basilium* videtur colligi posse. Constantinopoli, quæ pons ac porta veluti utriusque Orbis, tria cæteris pretiosiora erant feretra, quorum usus in honoratiorum funeribus, *Studij* vid. el., *Stephani*, & *majoris Ecclesie*, quod erat auro intertextum, de quibus Justinianus *Novella LIX. cap. VI.* Cæterum feretrum ipsum, quod S. Ambrosius *supremi funeris instrumentum* vocat in cap. 7. *Luca*, pompa partim præcedebat, partim sequebatur. Præportabantur faces, candelæ & cerei funeribus frequentissimè apud Gentiles, etiam illis quæ interdum ducebantur, quem morem à nocturnâ exportatione remansisse dubito nullus, nec dubitare sinit *Servius lib. VI. Æneid. Per noctem autem urebantur. Unde permansit, ut mortuos faces antecedant.* confer *Tacitum lib. III. Annal.* In Prisca etiam Ecclesia ad cereos ac luminaria elata funera discimus ex *Nazianzeno Orat. in Casa-*

Feretra.

Prælatæ funeribus faces ac cerei.

Casa-

Cæsarium fratrem (in cuius funere mater accensas faces
 gestavit:) usurpat ibi Theologus vocem *λαυραειφοειας*,
 quæ licet pro candida veste possit intelligi, mavult tamen
 pro cereorum & faciæ gestatione accipere Billius in eand.
 Orat. quod nobis priscum Ecclesie morem in honestandis cereorum
 ac lucernarum gestatione funeribus representet. In funere
 S. Paulæ Pontifices quidam lampades cereosq; præferebant,
 ut refert Hieronymus in Epitaphio ejus. His junge Grego-
 rium Nyssenum de funere S. Macrinæ, Chrysostomum Homil.
 IV. ad Hebræos, ubi & finem hujus funalium moris tradit.
 Porro apud Romanos plures instrati lecti in pompa fune-
 ris anteibant persæpè, sicut de Sylla, cui sex millia, & Mar-
 cello, cui sexcentos lectos prælatos legimus. In Exsequi-
 is Imperatorum, Principum ac Nobilium præferebantur
 insignia honorum, quos gessissent in vitâ, sed inversa, ut
 fasces, secures, arma, vexilla, atque urbium dona, spolia
 hostium, simulacragentium urbiumque subactarum, ex-
 pressæque cerâ majorum imagines longo ordine. Ex-
 empla pete ex *Alexandro ab Alexandro loc. citat. & Kirch-
 man. de Fun. R. lib. II. cap. 7.* De imaginibus verò præcipuo
 nobilitatis Romanæ insigni in funeribus ductis lege *Poly-
 bium lib. VI. Historiarum.* Refert *Andreas Tiraquellus To-
 mo I. Operum cap. XX.* de Nobilitatis prærogativis & pri-
 vilegiis num. 150. in Galliis observari, ut in funeribus Re-
 gum & liberorum regionum præferantur non quidè ma-
 jorum, sed ipsorum imagines ad vivum repræsentatæ.
 Quid Christiani veteres? Crucem, notam Christo mili-
 tantium, ac Gloriæ trophæum præferebant in funere. An-
 telatæ crucis meminit *Gregorius Turonensis lib. de vitis Pa-
 trum in Lupicino Recluso cap. 14.* Sed de personis dicam oportet,
 quæ funebrem præcesserunt lectum, ubi primò se of-
 ferunt *Siticines, sic dicti, quod apud Sitos h. e. vita functos*
Beza, in Matth. IX, 23. notat. 12.

Lecti plures,
 insignia ho-
 noris, &c.

Crux apud
 Christian.

Persona
 præcedentes.
 τὸν βαυλοῖ.
 Siticines.

cane-

canerent, ut annotavit *A. Gellius* Noctium Atticarum eruditissimus ac purissimus scriptor *lib. XX. cap. 2.* *Cum cantu enim mortuos ad sepulturam prosequi oportere, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt.* Ut est apud *Macrobius* *lib. II. Som. Scipion. cap. III.* Adhibebantur & *Præfica.* Hæ assa voce, illi (*Siticines*) instrumentis canebant, puta tubis tibiisque, quarum frequens fuit in Romanorum Græcorumque funeribus usus, quod latè probat *Kirchmanus* *loc. alleg. cap. IV. & V.* Certè *Homerus* *iliad. ω* refert, cum cadaver *Hectoris* in urbem allatum ac lectis pensilibus impositum esset, adfuisse *αοιδῶς θεῖων ἐξάρχης*, *cantores luctus principes.* Cæterum *Tibias* ad puerorum puellarumque aut minoris ætatis funera restringere videntur præter *Servium* in *V. Aeneid.* *Lactantius Placidius* in *lib. VI. Statu,* jubet, inquit, *religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.* Et *Stattius* ipse *Lib. VI. Thebaidos:*

Tibia, cui teneros suctum deducere manes.

His ex recentioribus subscribunt *Cornelius à Lapide* ad *Matth. c. 9. § 1.* *Drusus Prætoriorum Lib. 1. in loc. præd.* Subjicit hic causam; *Nam, inquit, instrumentum est Tibia, exilis & angusta voces.* Verum id non placet *Kirchmanno*, dicto *cap. V.* ubi asserit; *Tubas* quidem funeribus duntaxat indictivis adhibitas fuisse: *Tibias* verò funeribus quibuscunque, puta, puerorum, senum, divitum, pauperculorum, plebejorum, nobilium. Cujus sententia nostra, addit fundus est, quòd nania ad tibiā canebantur: communes autem omnibus funeribus nania. Litem hanc non facio meam, sufficiat probasse *Tibias* *Tubas*que adfuisse exsequiis. Sed an in *Hebræorum* quoque funeribus monumentarii *ce*

*Bakig. expof.
Dom. XXIV. Evgl.
p. Trin. pag. 355*

raulæ? audiamus *Wilh. Schickardum* de *Iure Regio Hebræorum cap. VI. theor. XIX.* *An etiam Siticines adhibuerint veteres Hebræi, equidem ignoro, inquisivi curiosè, sed nondum re-*

K

peri

per illum eius vestigium nisi forte נחנחן lamentatrices fœ-
mina, Jerem. IX. 17. huc referri debeant, quæ anus precio conductæ,
ululatu suo lugētibus lacrymas eliciebant, ut apud Romanos præfica.
 Maym. H. Efel. cap. 12. initio. Quia planctus vergit in ho-
 norem defuncti, ideò tenentur hæredes mercedem dare
 planctoribus & planctricibus, ut hoc officium præstent:
 nisi de mortuo ipse testamento vetuerit. *At hoc voce præ-*
stabant, non organis, quid ergò sibi vult ille cum vultus Auletarum in
Evangelica Historia. Matt. IX. 23. apud filiolam primæis ex ani-
mem? videntur hoc à gentibus, quarum sub potestate fuerant, di-
dicisse. Romani enim tubicines & tibicines adhibebant; &c:
& post pauca. Inde igitur à victore populo ad judæos, ut alia
multa emanasse credibile est. Hæc ille. Bartholom. Maye-
 rus Philolog. S. parte I. cap. VI. ex consuetudine Græco-
 rum hoc ipsum Judæos hausisse affirmat. Quicquid sit, à
 Gentilibus postea Judæi in funerum curatione Tibicines
 mutuati sunt. Hinc ipsum Thalmud (quod jus Civile
 Judæorum vocat Johann. Drusus Præteritor. part. II. ad
 Matth. c. 9. v. 27.) *Tibia adhibentur ad exbilarandum sponsum*
ac sponsam (in nuptiis) aut ad plangendum mortuam. (in fune-
ribus.) Sequuntur Præfica, quarum paulò ante facta men-
tio, quæ sic dicebantur, juxta Varronem & Festum, quod
planctui præficeretur, dabant enim cæteris modum plan-
gendi. Mulierculæ erant, quæ mercede adductæ ad tibias
ferales lamentabile & inconditum carmen femineo ulula-
tu iterabant & laudes ac facta defuncti non sine miseratio-
ne recensebant. Unde Lucilius, qui primus Latinorum
Satyram scribere aggressus est, Satyr. XXII.

Præfica,

————— *mercede qua*
Conductæ flect alieno in funere præfica,
Multò & capillos seindunt & clamant magis.

Ονηροδωρ γογγυσθι usus erat non tantum apud Romanos
 sed &

sed & apud Græcos, quod *Plato* indicat in *Minoe* & ex *Aesopi Apologo* in *πλάσιω* aliisque manifestum est. Plorabant ergo hæ conductitiæ mulieres & lamentabantur in alieno & ad se nihil pertinente funere nummorum gratiâ, unde & *fictarum lacrymarum simulatrices* eas vocat *Varro lib. VI. Ling. Lat.* Carmen autem ab illis cantari solitum peculiari nomine *Nenia* dicebatur, videatur *Scaliger Poëtices lib. 1. cap. 1.* Latini Veteres *Lessum* appellarunt. Judæos quoque olim in funeribus adhibuisse lamentatrices mulieres ex *Jerem. IX. 5* *Maymonide* loc. alleg. colligi potest. *B. Chemnitius Harmon. Evang. CLXVII. f. 1278.* per ὄχλον ἰουδαίων Matth. IX. v. 23. intelligit præficas, alii non præficas sed vicinos & reliquam turbam oppidanam, quod ego in medio relinquo. Præficarum loco *Psaltria* erant apud Christianos. Hi enim hymnorum & psalmodiarum cantu perducebant ad dormitoria sua defunctorum corpora. Hinc *Hieronymus* de Funere *Paulæ* viduæ; *Psalmodiarum linguis diversis examina concrepabant.* Item: *Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine personabant,* & supra citatis verbis subjūgit, alios *Episcoporum choros psallentium duxisse.* Erant ergo psallentes in choro & certos ordines distincti, quibus sui erant duces. *Triplicis canentium ordinis meminit Nyssenus* in funere *Macrinæ* sororis. *Psalmentium turmarum* *Gregorius Turonensis* loc. supra citato. Confer. *Hieronymum* de funere *Fabiolæ*, *Chrysostomum* homil. IV. in Epist. ad *Hebræos.* *Sulpitium Severum* in vita *S. Martini.* *Dionysium* (quisquis ille, etsi non *Areopagita*, cujus mentio in *Actis* c. 17. v. 34. scriptor tamen antiquus, eruditus & elegans iudicio *Dn. D. Calixti Concordiæ Evangel. Lib. VII. cap. 1. in fin.*) cap. 7. de *Ecclesiastica Hierarchia.* Et ne ulli funeri psalmodia deesset, destinavit ad hoc officium *Asceteria*, certumque *Ascetiarum* sive *Canonicarum* nume-

*Psaltria a
pud Christi-
an.*

Ludij, hi-
striones a-
pud Rom.

Liberti.

Funus se-
quentes.

rū Justinianus Imper. in Constitutionibus, quas Novellas vocant, quòd Codice recentiores, *Novella LIX.* Prohibuerat in Africa Rex Gensericus, ne mortuos suos cum psal-morum cantu efferrent Christiani, de quo conqueritur *Victor Uticensis*, malorum quæ Augustini ætate passa est A-fricana Ecclesia in Persecutione Vādatica, narrator, lib. i. de Persecut. jam dictâ: *Quis sustineat atque possit sine lacrymis re-cordari, dum præciperet nostrorum corpora defunctorum sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulcrum perducî?* Romani, ut ad eos redeam, ne quid deesset ineptiarum, adhibebant in illu-strium & fortunatorum virorum funeribus præter alias pompas etiam Ludios & histriones, qui lectulum præce-debant, & sic in nem saltationem saltabant. *Dionysius Ha-llicarn. lib. VII.* Nonnunquam aderant scurræ & mimi, qui personas fingerent, ac dicta gestusq; vivi imitarentur. *Suetonius in Vespasiano cap. XIX.* Insuper Orcini Liberti (i. e. qui testamento manumissi & Libertate donati) feralem lectum sui domini præcedebant pileati, aut albâ lanâ ca-pitibus velatis, ut observat *Alexander ab Alexandro Genial. die-rum Lib. III. cap. 7.* Funus ipsum prosequeretur proximio-rum, affinium & amicorum turba, & Filii quidem velatis, Filix vero nudis capitibus teste, Plutarcho in *procuratoris* probl. XIV. Sæpè aderat Senatus universus, Magistratus, equitū turmæ atq; adeò tota civitas, si quando Regū aut Imperatorum, aliorumque qui de Republicâ optimè fu-issent meriti, funus efferrent. Funeris enim hæc lex e-rat, inquit *Alexander ab Alexandro loc. cit.* ut præcedente pompa funebri, vivi sequantur, tanquàm haud multò post morituri. Tholosanus Syntagm. Juris Universi lib. II. cap. 14. num. 15. feralem processum hunc in modum describit: *Adest, inquit, & pompa & exequiarum major so-lemnitas in sepeliendis viris de Republ. benè meritis, ut in Lucilio*
Longo

Longo funus factū apud Cornelium Tacitū lib. 4. Augusto Octaviano apud Dionem Cassium lib. 48. Histor: Rom. precedebant sacerdotum collegia, Appian, in Sylle funere, & præferebantur omnia mortui ornamenta majorumq; imagines. Procedebat funus more prius, sequebantur homines, quasi post ipsum defunctum morituri, subsequunturque, à quibus dicebatur Vale nos te sequemur. Inde & dicta exsequia, ut apud Donatum legitur in illud Terentianum; funus interim procedit, nos sequimur. Hæc in rem præsentem volui producere licet pluscula. Athenis lege sanctum erat, ne quis in alienum funus accederet. De quo Cicero lib. 11. de LL. circa finem: *Sublata etiam erat celebritas virorum & mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concursus hominum: quocirca Pittacus omnino accedere quenquam vetat in funus aliorum.* Cognati ergo & amici ibi potissimum conspiciebantur. Defunctorum corpora cum honore & multitudine comitantium delatos fuisse ad sepulcrum apud Judæos docet sæpè citatus Maymonides H. Efel. cap. 4. inquit; *Et qui funus comitantur, dicunt solenniter: VADE IN PACE.* & in fine cap. XII. disquirat uter sexus debeat præcedere. *Est locus, ait, ubi mulieres solent præcedere feretrum, ibi præcedant sanè; quia illa mortem introduxerunt in mundum: est alius ubi sequi solent, ibi sequantur: ob honorem filiarum Israel, & ne quis fortè masculus illarum aspectu incendatur, ut explicat Talm. Ierosel. seq. cap. XIII. In qualibet serie non pauciores decem personis incidunt.* Funo comitari solene fuisse Judæis, exemplis probat S. Pagina. *Omnes servi Pharaonis, seniores familiae ejus & seniores terra Ægypti deduxerunt ex Ægypto in Cananæam exanime corpus Israel. Gen. L. 7. Abneri militiae ducis feretrum sequebatur David cum ministris suis II. Reg. cap. 3. v. 32. Et Turbam multam civitatis Naim Filii Viduæ exequias*

Andria. act. 1. Sc. 1.
v. 101.

quias ivisse legimus apud Lucam cap. VII. v. 12. Christiani
etiam frequentissimi sæpè ad exequias sanctitate in primis
& dignitate excellentium hominum confluebant. vide
*Gregoriam Nazian. Orat. in laudem Basilij. Gregorium Nyssen. Orat. in S.
Meletium Episcop. Antioch. Sulpitium Sev. in vita S. Martini Epist. 3. Hiero-
nymum in vita S. Paulæ & Fabiole.* Aliquando à funerum dedu-
ctione Virgines novasq; nuptas arcuerunt S. Patres. Sic
enim *χευορρῆσιων χευορρῆσιων* lib. III. *ἡ δὲ τῆς ἱερατικῆς: Jam &
Virgini oportet funebres pompas & publica pervigilia interdicta esse.*
& *Synesius Episcop. Ptolemaidis Epistol. III. & γὰρ οὐκ αἰσχρο-
υἰζέται οὐδὲ φευγέταις βαδίζειν ἐπὶ ἐκφορῶν.* Non enim opinor, mo-
ris est, ut nova nupta ad funus conveniat. Aliquando inquam, non
enim semper Virgines à deducendis funeribus exclusæ
fuerunt. Nam in funere jam laudati Chrysostomi *magnam
fuisse Virginum multitudinem* testatur Palladius in Dialog. de
fun. Chryf. *Virginum chori fletu abstinentis præ pudore* in fu-
nere S. Martini meminit Sulpitius Epist. 3. In funere S. Pau-
læ *nullam Virginum cubiculorum secreta texisse* ait Hieronymus
in Epitaphio Paulæ. *Omnem in exequias sexum convenisse &
etatem* dicit Corippus lib. III. de funere Justiniani. Fuisse
autem confluentem ad funus deducendum populum in
ordinem & certa agmina dispositum docet Nyssenus in Vita
S. Macrinæ. Vide & *Jacobum Gretserum l. I. de Sacris Processio-
nibus* cap. XIII. ubi exempla funebrium processionum re-
censet. Nec illud prætereundum esse monet idem lib. II.
de Funer: Christian. cap. III. equos interdum saccis seu o-
perimentis lugubribus amictos in pompa funebri ductos
esse, ut & hodiè fit in Imperatorum, Regum ac Principum
funeribus. Testatur id S. Chrysof. Hom: III. ad populum
Antiochenum. *Divite aliquo mortuo non servos solos, & an-
cillas, sed & equos necessarij saccis amicientes & agasonibus tra-
dentes, ad sepulchrum ire jubent.* Funus exsequentes præ-
fertim

fertim qui proximiori sanguinis nexu cohærebant defun-
cto lacrimis indulgebant maximè. Sororem in Sororis
funere sanguineas lacrymas fudisse refert *Delrius Polemica*
2. Alexander Macedo illacrimavit funeri conjugis Darii,
Curtio teste lib. IV. post med. In funere Macrinæ sororis Nyf-
seni Virorum & mulierum multitudo psalmorum decantationem
fletibus interrumpbat. Lacrimis planctus ejulatusq; im-
misceretur. Scindere vestes, pectus percutere, radere
genas, dilacerare mammas & membra cætera, vultumq;
ipsum cruentare, ut sanguine plorarent, & vellere comam
Ethnicis fœminis familiarissimum erat. Atque hujus
σεπρωτίας principes erant *Præfice*. Hæ enim cæteris mo-
dum plangendi præibant, ut supra dixi. Romanæ mulie-
res solvere crines in funere frequentius, solutos & circum-
colla fluitantes discerpere, cinere conspergere & pulve-
re sordidare solebant, neque ab hac ineptia viri sibi tem-
perabant, si qui comam alerent. Modò enim tonde-
bant modò promittebant capillitium in luctu, in quam
rem latissimè inquirat *Kirchmannus de Fun. Rom. lib. II. à*
cap. XII. ad XVI. usque. Nolo hic post *Homerum* conscribere
Iliadem. Illud saltem ex *Alexandro ab Alexandro* loc. cit.
adjiciam. *Apud Græcos convenit, in luctu viros co-*
mas alere, barbamque capillumque submittere, mulieres verò ton-
sis crinibus esse. De tonsos verò crines vel cadaveri impo-
nebant vel rogo inspergebant Romani pariter ac Græci.
vide Kirchm. lib. II. cap. XV. Alexand. ab Alexand. loco all. Alexandrum
Sardum de ritibus & moribus Gentium Lib. I. cap. 26. Cæterum non
solum Romanis, Græcis, Ægyptiis, Assyriis, Carthagi-
nensibus usitatum, ut semetlacerarent, comam evelle-
rent faciemque deturbarent, quâ de re lege *Alexand. ab A-*
lex. l. all. sed & Judæis. Unde *B. Chemnitius Examin. Con-*
cil. Trident. in Historia Purgatorii cap. II. Quanquam incisio
carnis & evulsio capillorum in luctu mortuorum expressè prohibita erant, Le-
vit.

*Mores &
Habitus lu-
gentium.*

vic. 19. Deut. 14. Ex conversatione tamen inter Gentes Isacitis etiam Pro-
phetarum tempore illa usurpari capta fuisse ex Jeremia cap. 16. non obscure
colligitur. Porro & ornatum omnem ponere Exequiatores,
more tam in Græcia quàm Romæ usitato, lugubriaq; vel
Mortualia induere solebant. Hinc Livius *Historia Patet* lib.
XXXIV. *Quid aliud in luctu quàm purpurã atq; aurũ deponunt,*
quid cū eluxerunt sumunt: Et Seneca *Consolat. ad Helviam.*
c. XVI. *Nostis quas dã quæ amissis filius imposita lugubria nunquam*
exuerunt. Erant autem vestes hæ funebres plerumq; colo-
ris nigri, qui color luctui & tristitiæ semper habitus fuit
convenientissimus. *Fullã veste amicti erant* in funere Au-
gusti Tiberius & Drusus, teste Dione Lib. LV. *Atrata plebs*
in exequiis Germanici. Tacit. lib. III. *Annal.* Nec viri so-
lùm sed & feminae pullatæ priscis temporibus veniebant
exequias. Sic enim *Dionysius Halicarnassens*, Historicus
bonus, Rhetor ac Criticus nobilis, quo curatius tempo-
ra nemo observavit (judice Scaligero in animadversioni-
bus Eusebianis) operis sui quod ipse ἀρχαιολογίαν Ρωμαίων
appellat, lib. VIII. *Romanorum matrone, ut mos est illis in luctu do-*
mestico & necessariorum funeribus, deposito auro & purpura cateroq; ornatu
atrata ipsum per annum integrum luxerunt. Quæ verò deinceps
vestes in luctu erant, iisdem in funus prodierant. *Confer*
Lipsum ad II. Lib. Annal. Taciti. Postea & color albus signum
luctus esse cœpit Romæ, allatis aliis ex peregrinis regioni-
bus coloribus; Unde Herodianus literis consignavit fe-
minas Romanas in exequiis Imperatoriis vestibus candi-
dis fuisse usas. In adolescentũ funeribus caruleã vestẽ fre-
quentes induisse, ex Catone docent, *Cælius Rhodiginus Lect. Antiq. I.*
17. c. 21. & Alexand. ab Alex. Genial. Dier. lib. III. cap. 7. Græciæ mulie-
res in luctu nigro amiculo contectas fuisse clarè propo-
nit *Artemidorus lib. III. cap. 3.* quanquam Alexander ab Alex-
and.

andr. loco all. apud Græcos foeminas virosque in can-
dida veste cum coronis amplissimi viri exequias profe-
qui asserat. Judæos quoq; in habitu lugentium funus
comitatos fuisse ex *Ezech. XXVI. 17.* colligi potest. Mu-
tabant & Christiani olim in luctu ac funere vestes. Ter-
tulliani discipulus sed Magistro ipso major *Cyprianus*
in sermone de mortalitate meminit atri seu lugubris
vestitus, quem in funere cognatorum superstites in-
duebant. Mortuo Chlodoberto Chilperici Regis fi-
lio, viri lugentes, mulieresque lugubribus vestimen-
tis indutæ, ut solet in conjugum exequiis fieri, in hoc
funus prodierunt, ut ait *Turonensis lib. V. Histor. Franc.*
cap. 34. Redeo ad victorem orbis populum. Ductaba-
tur Romæ pompa funeris, si paulò illustrior meritisq;
in Rempubl. insignis fuisset defunctus, primùm in fo-
rum ad Rostra, ibiq; locabatur. Aderat mox, si per æ-
tatem licebat filius, vel sanguine junctorum unus, aut *Oratio fu-*
in defectu eorum alius vir doctissimus, qui defuncti *nebris.*
præconia oratoriè persequeretur. Tiberius, ut *Sueto-*
nus fidem facit, novem annos natus erat, quum pro
Rostris defunctum patrem laudaret. Primus a *Valerius*
Poplicola Brutum mortuum funebri oratione laudasse
fertur pro Rostris, anno primo post Reges exactos, ut
scribit *Rosinus antiq. Roman. Lib. V. cap. 39.* Is honos so-
lis viris habebatur primùm, translatus a. deinde etiam
est ad foeminas. Sic Julia Augusta *laudata est pro Rostris à C.*
Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est, ut refert Tacitus init. lib.
V. Annal. Caligula suam aviam *defunctam etiam prætextatus pro*
Rostris laudavit. teste Suetonio cap. X. Serò Athenien-
ses has laudationes funebres, quas *ἐπιτάφιος λόγος*
vocant, cæteris funeris ritibus addidisse autor est *Dio-*

L

nysius

nysius Halicarnassensis lib. V. ubi de origine hujus ritus eruditè differit. Fuitq; in usu apud Aegyptios, (verba adnumero Alexand. ab Alexand. loc. all.) rege defuncto, antequam justa dentur, per sacerdotem, qui proximam tenebat dignitatem, omnem vitæ seriem, & ipsius dicta factaq; & an fuerit fortissimè præliatus, an verò segnis ac deses ex alto suggestu in maximo omnium conventu perlegi & recenseri: & si vitia prævalebant, honore funeris privari, atq; insepultum cadaver abjici. Si verò virtutes præcellerent, omni honore cumulari, unguentis deliniri & laudibus celebrari. Idem paulò aliter tamen ex Steph. Pasquierio refert Limneus de Jure Public. Imp. Rom. Lib. II. cap. XII. num. 7. Judæi, ubi ad sepulchretum pervenerunt, propter sepulchrum fere trum humi deponunt, sepulchrum circumeunt, & longam admodum precem recitant hodiè, quam, ציריקן justificationem judicii vocant, vide Buxtorfium Synagog. Judaica cap. XXV. Schickardum de Jure Regio Hebr. cap. VI. Sunt qui existimant, in verbis Prophetæ Esaiæ LVII. 1. Justus perit, & non est, qui recogitet &c. describi Concionem funebrem, quam Esaias Regi Ezechiaë piè defuncto habuerit. Christianos defunctorum gratiâ Orationes instituisse, ex antiquorum Patrum scriptis notum est, in quibus complures tales inveniuntur. Dionysius, qui Areopagitæ titulum præfert describens ritus Christianorum sui temporis circa mortuos cap. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, defunctum ante humationem ad Pontificem in loco sepulturae consistentem deferri, inquit, qui εὐχαριστήριον εὐχῆν, precem complectentem gratiarum actionem super eum peragit, (quem ritum etiam tangunt Gregorius Nyssenus in funere Macrinæ Virginis. S. Augu.

Augustinus lib. 9. Confess. de funere matris suæ *Monicæ*) finita prece osculo salutatur Præsul defunctum, quod & reliqui, qui præsentibus sunt, faciunt, deinde oleum ipsi infundit (quæ tamen alibi non fuisse usitata observat *B. Chemnitius* Exam. Concil. Trident. parte III. cap. V. in Historia Purgatorii) prodit postea præcipue ex ministris qui dimissis Catechumenis *Sanctosq;* jam mortuos concelebrat, & pari laudatione modò vitam functum prosequitur, hortaturque omnes, ut sibiipsis identidem postulent beatum in Christo excessum. Habemus hîc specimen Orationum ac laudationum funebrium. Confer *Socratem* lib. V. Histor. cap. 9. ubi *Gregorius* in funere *Meletii* Antiocheni orationem habuisse dicitur.

CAPUT VII.

De ipsa Funeratione.

Romani finita oratione & commendatione defuncti, per forum extra urbem si comburendus erat mortuus (hoc enim cuique liberum erat, teste *Rosino Antiquit. Rom. Lib. V. cap. 39.*) funus rectè deportabant in locum cremationi destinatum, qui modò conjunctus erat cum sepulcro, modò ab eo separatus. Deportatum unà cum ferali lectulo *Rogo* vel *Pyroæ* lignis, lege XII. Tabular. non dolatis extractæ & cupressis aliquando, gravem ustrinæ fœtorem jucunditate odoris comprimantibus, devinctæ imponebant, oculis iterum patefactis. *Morientibus enim oculos operire, rursusq; in rogo patefacere, Quiritium magno ritu sacrum est*, inquit, *Plinius* N. H. lib. XI. cap. 37. Ipsi mortuo sanguine proximi (quorum vicem sub-

L 2 bant

Rogi incen-
sio & com-
bustio.
Decursio
funeris.

bant in funere Imperatorum Consules & Magistratus) facie aversa pyræ facem accensam inferebāt. Rogo jam incenso (in imperatorum ac illustrium virorū funeribus) militū turba plebsque cætera sinistro gyro ter circumcursitabat & Præficæ h. e. planctuum principis fle-
tibus respondebat. Riturum hunc tangunt *Homerus* & *Virgilius* ille Græcorum, hic Latinorum poëtarum pater ac princeps. Ille *Iliad.* ψ.

Οἶδέ τρις περινερόν εὐτραχῆς ἤλασαν ἰώπας
Μυρόμενοι.

Hic lib. XI. *Aeneid.* in funere caesorum Trojanorum imprimis Pallantis.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter maestum funeris ignem
Lustrare in equis ululatusque ore dedere.

Talis Decursio funeris Græcis περινερόν facta est in funere Augusti, *Dio lib. LVI.* *Syllæ*, *Appian. lib. I. bell. civilium.* *Pertinacis*, *Xiphilin. in Severo* & ipsius *Severi*, teste eodem *ibidem*. Cæterum & Græcos cadavera rogo imposita combussisse notum est. In populo verò Hebræo morem cremandi mortuorum corpora usitatum fuisse non legimus. Hinc *Calvinus Com. in I. Samuel. cap. XXXI. v. 12.* *Inusitatum erat apud Judæos igne cremare corpora: quandoquidem Patres sepultos fuisse & humatos non crematis corporibus scimus.* Sed quid de *Saulis* ἀνεφάλω cadavere filiorumque ejus corporibus sentiendum *I. Samuel. 31. v. 12.* Quidam nostratum ipsa corpora regis & filiorum igni cremata fuisse, cineres verò demum sepultos statuit, unde & hic & *II. Chron. c. XVI. ult.* itemque *Jerem. c. XXXIV. 5.* combustio-
num exempla apud Hebræos extare existimat. *R. David Kimchi* Judæorum *Priscianus*, quoniam combustio-
nis

nis & humationis fit mentio, putat carnes & intestina
putrida & verminosa igne fuisse absumpta, ossa verò
uti subjicitur, sepulta. Cui sententiæ præter alios sub-
scribunt *Vatablus in notis ad b. l. 5. Dn. D. Calixtus in cap.*
L. Genes ad v. 2. II. verò Chron. c. XVI. v. 14. non ipsum
corpus Asæ Regis sed aromata super eum combusta ef-
se, dicitur. Posuerunt eum in lecticâ, quam repleverant a-
romatibus & speciebus h. e. aromaticis speciebus (ut ob-
fervat Dn. D. Glassius Phil: Sacr: Lib. III. tract. I. de
Nom.) opere pigmentario confectis, & combusserunt ei (pro-
pter eum, Münsterus, bustum ei fecerunt, Tigurini) comb-
ustione magnâ valde. Non nemo interpretum (inquit Schi-
ckardus de jure Regio Hebræor. cap. VI.) opinatur corpus
(Asæ) cremasse (Hebræos) at ego lectum cum aromatibus
tantiû deflagasse statuo quia eodem V. ipsum cadaver disertè
humatum esse dicitur. Ita & Jeremia XXXIV. 5. Sedechia
promittit Dominus; secundum combustiones patrum tuo-
rum, regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent tibi.
i. e. sic adolebunt in exequiis tuis aromata & facient
ustiones odorum captivi Judæi, & te tanquam regem
suum justis funebribus prosequentur. Magna ergò
est diversitas inter Hebræa & Romana busta. Hebræi
aromata & suppellectilia tantum & quidem solius ma-
gnatis, puta Regis & Rectoris Synedrii, ut postea audie-
mus, Romani verò ipsa corpora cremabant. Galli
etiam & Germani comburebant defunctorum cada-
*vera, ut de illis *Cesar*. de his *Cornel. Tacitus* testatur,*
sed Christianismo invalescente mos iste penitus est
*sublatus, & pœnæ loco habitus. Hinc *Pererius* in cap.*
*L. Gen. num. 4. *Apud Christianos ejusmodi moris genus**
probrosa & infamis pœnæ loco, nefanda libidinis & obfirmata
hereseos reis infligitur. Porro antiquissimis temporibus

*Animalium
hominum-
que ad ro-
gum immo-
latio.*

varia pecudum & animalium genera, defuncto in vi-
ta charissima ad rogam mactata, ignibus injicieban-
tur apud Gentiles. Quod nec *Homero* incognitum, &
Plinius Epistolarū scriptor testatur lib. IV. Epist. 2. *Ha-
bebat puer,* (Reguli filium intelligit) *manulos multos &
vinctos & solutos, habebat canes majores minoresq;: habebat
lusciniās, psittacos, merulas; omnes Regulus circa rogam truci-
cidavit.* Aliquando & vivi homines, puta captivi vel
servi in societatem illustriū cadaveris immolati & con-
cremati leguntur. de quo ritu *Tertullianus* lib. de Spe-
ctaculis: *Nam olim quoniam animas defunctorum humano
sanguine propitiari (nota causam crudelitatis) creditum
erat, captivos vel malo ingenio servos mercati in exsequiis im-
molabant.* Gallis quoque solenne erat in ignem infer-
re, quæ vivo cordi fuisse putabant, animalia, servos,
clientes, teste *Cesare* lib. VI. belli Gall. Descriptio regni
Africani Guinæ quæ primum à Patavis edita, refert;
regni ejus incolas alterum credentes mundum maxi-
mam suppellectilis partem defunctis assignare, ut
quocunque venirent, haberent, quod ad usus quoti-
dianos necessarium esset. Singulos item nobiles qui
in aulo Regi ministrarunt, ei defuncto mancipium ali-
quod largiri cujus ministerio in altero mūdo utatur, a-
lii alios, uxores etiam & filios in servitium ei manci-
pare simulque sepelire. Vide den. VI. Theil der Orienta-
lischen Indien cap. XLIII. & XLIV. p. 107. 108. 109. Qui-
dam etiam spontaneo vivi comburio præ nimio amo-
re erga defunctum vitam finire non recusabant. De
Indicis mulieribus præter alios authores id affirmat
Cicero V. Tuscul. *Mulieres verò in India, cum est cujusq; earum vir
mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille dile-
xerit. Plures enim singulis solent esse nupta, quæ est viatrix, ea lata pro-
sequentibus*

sequentibus suis unâ cum viro in rogum imponitur: illa victa mœsta discedit. Eundem morem Thracibus quoque adsignat Pomponius Mela scriptor principib9 Latinorum accensendus (juxta Barthium Adv: lib. XV. c. 6.) lib: II. de Situ Orbis cap. II. *Nec fœminis quidem signis est animus super mortuorum virorum corpora interfici, simulq; sepeliri votum eximium habent: & quia plures singulis nuptæ sunt, cujus id sit decus apud judicatuos magno conamine affectant.* De quibusdam etiam fœminis Romanis idem testatur Romanus Sapiens lib: II. declam. II. *Quadam se maritorum rogis ardentibus miscuerunt.* Sed addam cætera. Apud Romanos Græcosque qui funus sequuti & imprimis quibus maximè in amoribus fuerat mortuus, vestimenta sua detracta, nonnulli arma, enses, balteos, mulieres armillas, Zonas vittasque & cætera hujusmodi, in rogum conjiciebant, quæ peculiari nomine *Δῶρα* Munera dicebantur, vide Suetonium in Cesare cap. XXCLII confer & Alexandr: ab Alex: Gen: Dier. lib. III. c. 7. Kirchman. de F. R. lib. III. cap. V. Item thura & unguenta odoresq; omnium generum, quos lancibus interdum ferebant igni injiciebant. Nec absimilis Israelitarum mos, qui super Lectis defunctorum Regum aromata adolebant, ut ex Sacrosancta Vetusti Fœderis Historiâ & quidem ex II. Chron. XVI. 14. & Jerem. XXXIV. 5. supra alleg. patet. Comburebant etiam super regibus & Synedrii Rectoribus suppellectilia, non ulli parcebatur *findoni* (verba sunt Schickardi de Jure Regio Hebræor. cap. VI. theor. XIX. p. 164.) non pretiosis peristromatibus non aulais, non cervicalibus; ipse sella regales &c: cremabantur. solum scptrum & corona non conflagrantur sed recondebantur unâ cum cadavere, prout suprâ in Herodis funeratione memoravimus. Cum privato verò defuncto supellectilem, qua in ægritudine usus fuerat

Donorum in
rogum con-
jectio.

Rogi extin-
ctio & Offi-
legium.

fuerat vivus, sepelire Judæos, idem docet verbis præcedentibus. Apud Germanos, majores nostros, funerum nulla ambitio, inquit Tacitus de moribus German. Id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis cremantur. Struem rogi, nec vestibus, nec odoribus cumulant. Sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur. Denique Romani ut & Græci ustulato quantum satis erat corpore rogam & reliquias vino respergentes, puto, ut flammam prunamque favillis sopitam extinguerent, ossa legebant amici & propinqui. Quod munus *Offilegium* dicitur. Vide si lubet *Tibullum lib. III. Eleg. II.* qui elegantissime omnes *Offilegii* ceremonias describit. Collecta ossa & cineres vino, lacte, odoribus, imò etiam lacrymis perspersa & irrigata & linteo ventilata vasculis pro cuiusque facultate pretiosis includebant, (quæ Latinis *Urna* item *Offuaria* & *Cineraria* Græcis *ἰσοθήκαι* vel *ἰσοδοχεῖα* dicebantur) & monumento inferebant. Qui vero non comburendus erat defunctus, statim in arcam vel loculum, ad hoc ipsum paratum, locabatur unà cum omni isto ornatu sepulchrali quo erat per forum domo exportatus, conjectis in monumentum, ut ante in rogam, vestibus & aliis ornamentis. Feralibus officiis justisque persolutis apud Romanos qui funus prosequuti fuerant, aqua ter lustrati (quod & Græcis usitatum fuisse testatur Suidas in verbo *καταλῆσι*) *Vale & Salve* (Hebræi *Vade in pace* H. Efel. cap. 4.) composito inclamabant, terramque levem ei precati domuitionem parabant pronunciatò à Præfice verbo novissimo


ILICET.


ULB Halle 3
002 684 632



V 17







9 19
1648 9
CULTURA

ERUM.

ve
IS RITIBUS SE-
RALIBUS,

a, Græcorum,
Christianorum,
IO QUARTA.

am
M. A.
ESIDE
R. QVENSTEDT.
ILT. PHILOSOPH.

NCTO,
quisitioni submittit
Amfort / Brunsvicensis.
horis antemeridianis.
orio Philosophorum.

TEBERGÆ
sh. MICHAELIS Wende/
MDC XLVIII.